



Disputatio juridica inauguralis de praescriptionibus fori

<https://hdl.handle.net/1874/347313>

2.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVRALIS,
DE

PRÆSCRIPTIONIBUS FORI.

Q V A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

Verbi Divini in Ecclesiâ Praeconis, & Theologiæ Doctoris, ejusdemque
Facultatis in Inclytâ Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

UT ET

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rite & legitimè eonsequendis,

Publico examini subicit,

JOHAN DE WEEDE, Ultrajectinus.

A.D. Aprilis, hora locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc Lxxxix.

*Nobilissimo Amplissimo ac Generosissimo
V I R O,*

D. D. EVER HARDO
de W E E D E,

Domino de Dijckvelt, Rateles, Lutteke-Weede &c.
Decano Capituli St. Mariæ quod est Trajecti. Ordinum populi Trajectini Præsidi, eorumque nomine inter Præpotentes Confederari Belgii Proceres Deputato Ordinario. Aggerum, qui superiorem partem Leccæ fluminis cingunt, Præfecto. Variis pro fœderato Belgio legationibus, prudentissime defunctis, Atque etiamnum Belgii fœderati apud potentissimum Britanniæ Regem Oratori extraordinario Inclyto.

U T E T

Nobilissimo Strenuissimo V I R O,

D. D. H E N R I C O
de W E E D E,

Legionis Peditum fœderati Belgii Tribuno. Curiax agerum ad Superiorem Leccæ fluminis partem assessori. &c.

Patruis suis & Patronis omni cultu, observantiaeque, Studio ætatem Colendis, Honorandis,

Hoc exercitium inaugurale ut & semet ipsum

D. D. D.

JOHAN DE W E E D E, Author.



D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A U G U R A L I S

D E

P R A E S C R I P T I O N I B U S F O R I .

T H E S I S I.

Vox *Prescriptionis* ita dicta est a verbo præscribere, quod propriè est ante scribere, nostrates *voorsrijven*, seu ut Donellus docet *lib. 22. cap. 1.* de iis usitatum qui pingendi, vel scribendi artem alios docent, qui solent præformare lineas, seu literas, quas discipuli imitari debent, hinc per metaphoram denotat præscribere, præfinire, dictare aliquid alteri, quod sequatur: ita in *l. 1. Cod. de pres. 30. vel 40. ann. præses quod publico Jure præscriptum est*, statuer, quod publicis legibus ea de re statutum est. Eodem sensu *tempus a testatore præscriptum apud JCtos est præfinitum*, in *l. 28. §. 8. ff. de lib. leg. Briffon. lexicon in verbo, præscribere, eademque ex origine actio ex contractibus innominatis descendens dicta est præscriptis verbis.*

A 2

I I. Va-

DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Varias porro significationes habet præscriptionis vocabulum:

1. generaliter accipitur pro quacunque exceptione, & dilatoria & peremptoria per *Rubr. Cod. de exceptionib. seu præscriptionib. l. 8. l. pen. & ult. ff. cod. tit.* atque hinc præscribere nihil aliud est quam excipere. *l. 11. & pen. ff. de except. l. fin. ff. de susp. tut.* forte ideo, quod reus excipiens auctori quasi dicit, & præscribat, quomodo agere debuisset.

2. Præscriptiones denotant modos & circumstantias temporis, quibus actiones includuntur, & quasi præscribuntur, ut in *Rubr. ff. de divers. & temp. præf.* sed tunc plerumque *JCTi* hoc modo dicunt, *præscriptio temporis, vel præscriptio temporalis.*

3. Pro modo acquirendi dominium, ut *præscriptio 30. vel 40. annorum tot. tit. Cod. de præsc. 30. vel 40. anno.*

4. Pro exceptionibus declinatoris, qua declinamus seu locum Judicii, seu personas Judicium constituentes, atque illæ sunt, quæ proprie vocantur præscriptiones fori *l. pen. C. de pact. l. ult. C. de except.*, quæ aliter exceptions declinatoriæ vocantur.

5. Specialissime pro exceptione fori incompetentis.

I I I.

In hac posterior significatione ita definiri possunt, *Præscriptiones fori, sunt exceptiones dilatoria, quibus reus conventus Judicium declinat, vel propter personas Judicium constituentes, vel alias circumstantias loci & temporis.*

Animus autem non est de omnibus & singulis Præscriptionibus fori speciatim agere, quod terminos disputationis inauguralis excederet, sed præcipue de præscriptione fori incompetentis, generalia tantum ut titulo nostro satisfaciamus, de reliquis dicturus sum, quod ordine ut fiat, ab ipsis exceptionibus incipiemus.

I V.

INAUGURALIS.

IV.

Triplex exceptionis occurrit definitio 1. est in pr. *J. de except.*
exceptio est defensio ejus cum quo agitur. omnis quidem exceptio
 recte defensio dicitur, utpote comparata defendantum reorum
 causa, pr. *J. de except.* at non omnis defensio exceptio est,
 sed ea tantum quæ actionem Jure constitutam repellit, actio
 igitur est telum, exceptio clypeus, aries, quo actio infringi-
 tur. *Cic. in topic. aries ille subjicitur in vestris actionibus, si telum*
manu fugit. Altera definitio est in l. 22. ff. de except. ubi Pau-
 lus definit exceptionem quod sit conditio quæ modo eximit reum
 damnatione modo minuit damnationem, conditionem vocat, intuitu
 veteris exceptionum concipiendarum formulæ: nam condi-
 tionaliter, per particulas, *si, nisi, extra quam si,* exprime-
 bantur *Cajac. 5. obser. 34. Wesemb. in par. ff. de except. n. 9.*
 Exemp. gr. si de statu filii fam. cui pecunia credita propon-
 retur, ambigeretur, creditori quidem actio dabatur, sed cum
 hac exceptione, *Extra quam si tum filius fam. erat, cum ei pe-*
cunia crederetur.

Tertia exceptionis definitio est in l. 2. pr. ff. de except. Exceptio
 est actionis juris competentis exclusio. vocabulum autem exclu-
 si late debet sumi, non tantum pro exclusione perpetua,
 sed etiam temporali, ut quoque definitio possit convenire di-
 latoriis exceptionibus.

V.

Omissis variis exceptionum divisionibus, exceptions di-
 stribuimus in peremptorias, seu perpetuas, & dilatorias, seu
 temporales. Peremptoriae, seu perpetuae sunt quæ semper
 agentibus obstant, & rem de qua agitur, omnino perimunt
§. 9. J. de except. l. 3. ff. eod.

Vis exceptionum peremptoriarum, quam ipsam & nomi-

DISPUTATIO JURIDICA

na indicant hæc est , quod oppositæ & probatæ , semper agentibus obstant , & rem de qua agitur perimunt , unde alibi dicuntur totius negotii cognitionem tollere , & vires principalis negotii exaurire , l. 2. C. de prec. imper. off. non enim actionem solum , sed etiam obligationem tollunt , neque non minore cum effectu , quam si sublata esset ipso jure , ut non abs re scriptum sit nihil interesset , utrum quis actionem non habeat , an eam , quæ per exceptionem perpetuam infirmetur , & pro indebito haberit id , cuius petitio ita repelli potest l. 112. ff. de reg. Jur. l. 3. §. 1. ff. de const. pec. l. 40. ff. de condit. indeb.

V I.

Exceptiones dilatoriaæ seu temporales sunt , quæ ad tempus nocent , & temporis dilationem tribuunt , id est oppositam actionem non in totum excludunt , sed tantum differunt , l. 2. §. ult. ff. de except. quia rem differunt , dilatoriaæ , & ad tempus id faciunt , temporales appellantur , l. 3. ff. de except. differentiæ autem inter exceptiones dilatoriaæ , & peremptoriaæ præcipue duæ sunt , 1. differunt effectu , peremptoriae excludunt actionem in perpetuum , dilatoriae differunt ad tempus , 2. differunt tempore oppositionis , dilatoriae opponi debent ante litem contestatam , l. 13. C. de proc. l. 19. C. de proba. postea non , quia reus tunc intelligitur iis renuntiassé , & de Jure Romano advocatus eas opponens multatur librâ auri , l. pen. & ult. C. de except. & l. 4. C. de Jud. Peremptoriae exceptiones opponi possunt post litem contestatam , modo opponantur ante sententiam . l. 4. & 8. C. de except. l. 2. C. de sent. refc. excipiuntur peremptoriae quædam exceptiones , quæ etiam post sententiam opponi possunt , ut compensationis l. 2. C. de compens. SCti Maced. & Vellejani l. 11. ff. ad SCri. Maced. SCti. & hoc sit ex sententia SCti , neque alia hujus rei certa ratio reddi potest.

V II.

I N A U G U R A L I S. 7

V I I.

Exceptiones dilatiore vel respiciunt ipsam causam, & retinent nomen generis, vel respiciunt personam Judicis, aut tempus, & vocantur proprio nomine declinatoria. Ipsam causam respicientes exceptiones sunt pacti de non petendo intra certum tempus §. 20. *J. de except.* hec ab effectu potest dici solutionis moratoria, cui similis est exceptio moratoria a Principe Impetrata l. 2. & 4. *C. de prec. imper. off. l. 45. §. 10. ff.* de jure fisci. solent enim principes humanitatis causa dilationem aliquius temporis indulgere debitoribus, qui fortunę injuria facultatibus exuti, aut magnum damnum aliquod rei familiaris passi, spatium aliquod ad solvendum petunt, quo se interim tuerunt adversus creditores, ne in carcerem ire, aut bonis cedere cogantur, vulgo appellantur litteræ, salvi conductus, gratię, securitatis, nostribus (*Brieven van Atemminiate of Respījt*) qua de re consulendus *Aflic. decis. 337. & seqq. exceptio ordinis, Autb. præsentes C. de fidejuss. cedendarum actionum, l. 13. & 36. ff. eod. & aliæ plures.*

V I I I.

Propter personam Judicis præcipue competunt exceptiones, suspecti judicis, præventionis, litis pendentis, & fori incompetentiis.

Exceptio suspecti judicis est exceptio dilatoria, qua Judex tamquam suspectus rejicitur. Suspectus dicitur judex, si de re sua agatur, aut infestus nobis sit, aut inimicus adversario, l. 17. & 47. ff. de *Jud. L. un. C. ne quis in sua cauf.*

Exceptio præventionis est qua declinamus forum Judicis alias competentis, ex eo, quod ejus Jurisdic̄tio præventa sit ab alio iudece l. 7. ff. de jud.

Exceptio litis pendentis est qua declinamus forum Judicis competentis

8 DISPUTATIO JURIDICA

petentis, ex eo quod lis coram alio judice inchoata pendeat, l. 15.
ff. rat. rem hab.

Exceptio fori incompetenter est exceptio dilatoria qua proponitur actionem institutam non pertinere ad cognitionem judicis, apud quem proposita est. Ut autem haec exceptio melius intelligatur, pro instituto nostro de ipso foro competenti differemus, si enim cognoscamus quid forum sit competens, ex natura contrariorum facile intelligemus, quodnam forum incompetens haberi debeat.

I X.

Forum competens dicitur duobus modis, & ratione Judicis, & ratione Rei, 1. ratione Judicis, ut is talem jurisdictionem habeat, ad quam causa controversa pertinet, de quo tit. de jurisd. 2. ratione Rei, qui convenit, ut ratione ejus causæ ibi possit conveniri, dico ratione Rei, nam actor non habet forum, unde haec regula, actor sequitur forum rei, l. 2. & 5. C. de jurisd. l. 2. & 3. C. ubi in rem act. excipiunt casum ex leg. diffamari C. de ing. man. item reconventionis, litis ab emptore venditori denuntiatæ, & alios nonnullos. Sortitur reus forum, vel ex persona propria, vel ex alterius persona.

Ex alterius persona heres sortitur forum, quia actiones contra defunctum radicatas tenetur suscipere in eo loco ubi defunctus tempore mortis domicilium habuit l. 19. pr. & l. 34. ff. de Jud. Ex persona propria, forum duplex est, commune unum, alterum proprium seu speciale, quod ad certas causas pertinet.

X.

Commune forum constituit Domicilium, in omnibus causis civilibus, criminalibus, personalibus, & realibus. Domicilium triplex est, 1. Republicæ. 2. Originis. 3. Voluntatis.

Fo-

I N A U G U R A L I S. 9

Forum domicilii olim fuit Romæ, quæ id circa veteribus dicta est communis patria, *l. Roma ff. ad munic.* nam idcirco omnes, qui Romæ inventi essent, ibi conveniri poterant, ibique se defendere debebant, nisi jus haberent revocandi rem ad domicilium proprium, *l. 2. §. 4. & seq. l. 24. ff. de jud.* sed moribus hodiernis regiæ urbes, seu metropoles jus istud communis fori non habent.

2. Domicilium originis, quis nanciscitur ibi loci, unde vel pater oriundus, vel in quo quis non fortuito natus est, dummodo pater ibi domicilium habuerit *l. 1. 6. §. 1. l. 17. §. patris ff. a. i. munic.* atque hoc domicilium de Jure Romano immutabile est; in eoque originarius conveniri potest inventus, licet alibi larem fixerit, arg. *l. 6. pr. & l. 29. ff. ad munic.* *l. vin. C. ubi pet. tut. l. pen. ff. de senat. l. pen. ff. de incol.* illegitimi liberi sequuntur conditionem matris *l. 1. §. 2. ff. ad munic.*

3. Domicilium voluntatis est ubi quisque larem, & fortunarum sedem ita fixerit, ut inde non sit decessurus, & in de prefectus peregrinari videatur, *l. 7. C. de incol.* *l. 7. C. ubi sen. vel l. 5. & 5. ff. de injur.* sæpe quis non in uno sed duobus vel pluribus locis ita fortunarum summam constituit, unde & totidem in locis domicilium & forum nanciscitur, *l. 5. 6. §. pen. & l. 27. §. 1. ff. ad munic.* constituit ergo hoc domicilium proposito permanendi, ipso facto seu habitatione, qui animus colligitur ex circumstantiis, verb. gr. si quis jus civitatis impetravit, ubi habitat, vel potiores suas res eo detulit. *l. 2. C. ubi sen.* vel plenariam rerum administrationem ibi instituit, *l. 27. §. 1. ff. ad municip.*

X I.

Ceterum illud arbitrium eligendi habitationem impeditur, vel ob defectum consensus, unde impubes domicilium patris, arg. *lun. C. ubi pet. tut.* furiosus, quod fuit ante furorem, retinere censetur, arg. *l. 20. ff. de stat. horum.* Studiosus ubi stu-

10 DISPUTATIO JURIDICA

diorum causa moratur, non intelligitur domicilium habere; et si per decennium ibi haeserit, si nulla alia re voluntatem suam declaraverit. l. 2. C. de uncol. l. 1. §. pen. ff. de his qui estud l. 5. §. si tamen ff. de in iur. mulier per matrimonium transit in forum, & domicilium mariti, quod etiam ut vidua retinet, donec alteri nupserit, l. 65. ff. de Jud. l. C. §. 3. ff. ad municip. vagabundus potest ubi cumque reperitur conveniri arg. l. 1. C. ubi quis decum vel cohort. caus.

X I I.

Proprium seu speciale forum est, quid tribuunt causæ singularæ, vel uti in actionibus in personam tribuit locus, in quo contracta est obligatio, l. 20. ff. de Jud. quod tamen puto sic accipiendum, si reus ibi reperiatur per l. 2. §. 4. l. 19. pr. & §. 1. & l. 45. ff. de Jud. quia in contractibus remissio locum non habet, C. Romana §. contrahentes, de for. comp. in 6, et si quidem in contrahendo dictum non sit, quo loco rem praestari oporteat, is locus contractus intelligitur, in quo res gesta est, d. l. 19. §. 1. & l. 45. sin autem expresse cautum, ut alio loco, quam in quo negotium gestum est, res praestetur, hic locus accipiendus, tamquam re ibi contracta l. 3. ff. de reb. antb. jud. pos. l. 21. ff. de o & a. in his autem regionibus non inspicimus locum contractus, sed domicilii debitoris, juxta l. 65. ff. de jud. sic ut l. 19. de jud. & l. ff. de reb. aut jud. poss. non sint receptæ, secundum ea quæ tradit Imbert. & alii allegati a Christ. vol. 2. decis. 164.

X I I I.

In actionibus in rem speciale forum tribuit locus in quo res sitae sunt. Est enim constans haec fere omnium interpretum sententia, usque forensi non dubio recepta, posse pro arbitrio petitoris, actionem in rem moveri, vel in loco domicilii posse

I N A U G U R A L I S. II

possessoris, ut foro actionum omnium communi, vel in loco ubi res, de quibus contenditur, constitutæ sunt, per textum non obscurum, in l. 3. C. ubi in rem aet. fac. l. un. C. ubi de hered. quamquam *Cudel.* notat, praxi illud maxime observari, ut ibi duntaxat actio in rem intendatur, ubi res sita est, lib. 4. cap. 2. Speciale quoque forum tribuunt crimina, ut docent, l. 1. l. 2. cum *antb.* seq. C. ubi de crim.

X I V.

Illud preterea obiter notandum, posse eum, qui per se competens non est, ex accedenti competentem fieri, idque vel propter judicium jam ceptum, vel propter prorogationem jurisdictionis. Cæpti judicij hæc vis est, tum ut actorem mutua petitioni, seu reconventioni, ut nunc in foro loquimur, obnoxium reddat, hoc est, ut mutuas rei actiones ibi excipere cogatur, ubi ipse item movit, tametsi prius ibi conveniri non potuisset, l. 22. ff. de *Jud.* l. 14. ff. de *sent.* & inter loc. tum ut litigatores retineat in judicio conjuncto. Judicia conjuncta autem accipimus hac in re possessionis, & proprietatis: ac de his ita cautum, quo in loco prius de possessione actum est, etiam de proprietate agi debere, quamvis rebus integris ibi conventus judicium accipere non cogeretur, ne causæ continentia dividatur l. 10. C. de *Jud.* moribus tamen istarum causarum disjunctos terminus judices, quippe Interdicta possessoria in conciliis provincialibus, questiones vero proprietatis apud cuiusque loci magistrum tractari solent, *Cudelin.* lib. 4. cap. 2. ubi de foro competenti late disputatur, artic. 19. *Inst. sup. bol. cri.* Prorogatur Jurisdictio, vel expresse, cum alias Judex, quam cuius notio est, ex conventione aditur. l. 18. ff. de *juris* & l. 1. ff. de *jud.* vel tacite, cum quis ab incompetente judice citatus comparet, nec exceptionem fori opponit, l. 1. C. de *jurisd.* l. C. *inst.* de *excep.*

B 2

X V.

12 DISPUTATIO JURIDICA

X V.

Hactenus egimus de foro quod reus sortitur ex jure communi, porro jam videndum de foro privilegiato, quod competit, vel ratione causarum, vel ratione personarum, nam 1. causæ Ecclesiasticae & spirituales, ut sunt matrimoniales, decimarum &c. coram judice ecclesiastico sunt expediendæ, *ex Jur. can. cap. 3. exir. de Jud.* excipiunt plerique & hunc casum, si ecclesiastica causa incidenter tractetur, quo facit, *l. 3. C. de Jud.* 2. Causæ feudales coram domino, vel paribus, curiæ, vel coram judice ordinario sæpe ventilanda sunt, dominus feudi est Judex, si controversia sit de feudo inter duos pluresve vasallos, feudum ab eodem domino recognoscentes, *lib. 2. feud. cap. 55. §. præterea.* Pares curiæ autem sunt vasalli, qui ab eodem domino feudem recognoscunt, hi sunt judices, quando inter dominum & vasallum lis oriatur, vel inter duos vasallos quidem, sed quæ dominum etiam per consequentiam ita concernat, ut in domini ab proprium interesse affectus metuendus sit *2. feud. 16. & 39. §. 55.* quando autem causæ feudales ventilantur coram Judice ordinario, hoc fit in subsidium, deficiente foro feudali. 3. Causæ status peragendæ sunt in loco, ubi reus qui est in possessione libertatis, domicilium habet *l. 3. Cod. ubi caus. stat.* non tamen nisi coram Judice majori *l. 4. & ult. C. eod. 4.* Causæ fiscales singulare forum habent, de iis disceptatur, apud procuratorem Cæsar, vel rationalem *l. 1. 2. & 5. Cod. ubi caus. bis.* criminales vero apud præsidem provincie, d. l. aut procuratorem ejus, d. l. 3.

X V I.

Respectu conditionis personarum, pupillis, viduis, & ceteris miserabilibus personis, id privilegii concessum est, ut

Im-

Imperator de ipsarum quærelis, sola facti veritate inspecta, immediate cognoscat, *l. un. Cod. quand. Imp. in pup. vel vid. &c.* ipse autem invitæ illuc evocari nequeunt *d. l. un. 2.* Senatores & clarissimi in causis civilibus in urbe apud præfectum, vel magistrum officiorum conveniuntur, *tot. tit. C. ub. sentel. clar.* in provinciis nulla gaudent præscriptione fori *l. 2. d. t.* sicut nec in criminalibus, quia reatus omnem excludit honorem, *l. 1. 2. 3. C. ub. seu vel clar. 3.* Professores cum sua familia, & studiosi cum suis famulis coram rectore magnifico, vel Episcopo sunt conveniendi, *Auth. (habita) C. ne fil. pro parr.* Clerici etiam tali gaudent beneficio, *Auth. (statuimus) Cod. de epis. & cler.* cui jus canonicum, ne quidem per jus jurandum renuntiari vult, *cap. si diligenti an de foro comp.*

Denique qui armatam militiam persequuntur, coram magistro militum conveniendi sunt, nec tantum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, *l. 6. C. de Juris d. l. 3. ff. de re nul.* quod sine dubio verum est si delictum sit militare, in delictis autem communibus aliter obtinere, & militem tum hoc beneficio non gaudere putamus *arg. l. 2. & l. 1. C. ad l. corn. de sic. & 3. ff. de re nul.* nec illud jure novo correctum est, ut patet *l. un. C. in quib. caus. milit.*



COROLLARIA.

I.

*U*su capio est Justus modus acquirendi Domini.

II.

Pacta incontinenti adjecta contractui str. Juris non formant actionem.

III.

Concubinatus, nec Meretriciae coniunctiones de Jure civili absolute fuere permisæ.

IV.

Pactum Antichreseos potest excedere legitimum usurarum modum.

V.

Princeps legibus solutus est.

VI.

Fidei jussor in majoram summam obligatus quam debitor principalis nullo modo tenetur.

VII.

V I I.

*Quærela in officiis testamenti est ipsa hereditatis
petitio.*

V I I I.

Ad præscriptionem servitutum non opus est titulo.

I X.

*L. 2. C. de resc. vend. non habet locum in trans.
actione.*

HALEN.

X.

*Major 17. annis potest esse procurator ad li-
tes.*

F I N I S.

Georgi AVI

Georgi AVI

III

Georgi AVI

I

Georgi AVI

X

Georgi AVI

TINI

VII